



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Thomas Aqvinas C. 7. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quod primò omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIOLVM suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel MATRI vel COLETA arrideret, sed qui unum jam toto vulnus corpusculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ cum primis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsa nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod placet prævenire Iudæorum nianus: puerum CHRISTVM in crucem pueri agunt, nec semel agunt. Superi! quid gigantes facient, quando bellum cælo pumiliones inferunt? Ex Steph. Iul.

Vide & considera, quanta sit erga te dignatio Dei tui, & obliviscere populum tuum & domum patris tui: desere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. S. Bern. serm. de Mut. Aquæ in Vin.

S. THOMAS AQUINAS C. 7. Martij.

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, infans oblata fortè in schedâ verba, quibus MARIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni infantia danda. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, eoque ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosâ fugâ egregiam pugnam edidit, Veneremque ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis, in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatum est, victoriam gratulari Angeli, balteo virginitatis victorè exornarunt. Ille postea doctrinam virtutis socians, ita

F de

de Republ. Christianâ meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram CHRISTVS è cruce tulit illis verbis: *Bene de me scripsisti: Thoma; merces tua quæ erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud BENE emendicarunt! De stipendo quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cum fecisset, solemne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Denique in unam DEI gloriam coniecit oculos; atque hinc à morte, stellâ pectus insignis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse. Itaque astra in quæ collimavit, facillè obtinuit? nos quia oculo non cælum amplissimum, sed scopum terram pusillam statuimus, toto cælo erramus. *Ex Suario.*

Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum virtutis. Christi ergo castitatis baltheo, quod est insigne militia Christiana, fluxam carnis detruncemus ignaviam, & regis nostri expectatione vigilans in somnem seculi somnum nesciamus. Pet. Chrysol. serm. 22.

S. EQVITIVS C. 7. Martij.

QVOD paucis datum est, castitatis donû EQVITIVS Angelorum beneficio consecutus est, qui omnem libidinis fomitem auferre à dormiente sunt visi. Qui nosse cupit, qui sibi Angelos tam demeruerit, noverit precibus id fecisse castis, quas si in carnis luctâ cum EQVITIO plures funderent, plures e iam hostem funderent. Cæterùm rube donatus miles noster, nihilominus pro castitate sedulus vigilavit. Quare cum Basilium Magum

reci-